

Vrapiu fluentia, nocte quidem accipiamus orationis fluxum ex spiritalibus uenis, die autē effundamus hausta his, qui opus habent. At si quis uidisset populum ita mane ad audiendum confluentem, diceret congruere ei illud Dauidis: Deus deus meus, ad te de luce uigilo. Sitiuit in te anima mea. Psal. 62:

CAPVT XXII.



Nstabat autem dies festus azymorum, qui dicitur pascha, & quærebant principes sacerdotum & scribæ, quomodo Iesum interficerent. Timebant enim plebem. Intrauit autem satanas in Iudam, cui cognomen erat Iscariotes, qui erat de numero duodecim, abijtq; & locutus est cum principibus sacerdotum, ac ducibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gauisi sunt, ac pacti sunt pecuniam illi se daturos. Et ille spondit: quærebat que opportunitatem, ut traderet illum illis sine turba. Quærebat quidem illum interimere scribæ: at quia tempus paschæ instabat, & uidebant sibi inde periculum imminere à turba quæ congregabatur, maxime propter diem festum, quærebat insidias quomodo interfecto illo, non periclitarentur. Intrauit autem satanas in Iudam, qui erat unus de numero duodecim, erat que ex maxime familiaribus discipulis, ut nullus confidat in seipso, sed semper attendat uitæ suæ, utpote grauem habens aduersarium. Quidam autem sic intellexerunt: Qui erat de numero duodecim, numerum solum implebat ut apostata, non ut apostolus, nec ut uerus discipulus. Quomodo enim uerus discipulus, qui turatur quæ in marsupium mittebantur? Hic igitur quum ingressus esset in eum satanas, decreuit secum, & conspirauit cum quærentibus Iesum tradere. Hoc enim significat spondit, hoc est perfectam promissionem, & pactum fecit. Et quærebat opportunitatem, quando inueniret illum sine turba, hoc est seorsim & solitarium; & ipsis traderet. Magi stratus autem hoc loco uocat præfectos ædificijs templi, uel etiam censores, ut qui curarent ea quæ ad bonum ordinem seruandum pertinebant. Præfecerant enim Rhomani quosdam populo, ut ne turbaretur, quando quidem seditioni erant. Illos igitur uocat *magistratus*. Fortassis autem & militaria munera credebantur eis, qui erant ex sacerdotali ordine, unde magistratus & duces dicti. Ambitione enim laborantes, & illa officia inuadebant: unde eos magistratus & duces templi nominauit, manifestius forte taxans illos.

Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat immolari pascha. Et misit Petrum ac Ioannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, ut edamus. At illi dixerunt ei: Vbi uis paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus uobis in ciuitatem, occurret homo quidam, uas aquæ testaceum portans, sequimini eum in domum in quam intrat, & dicite patrifamilias ædium: Dicit tibi magister: Vbi est diuersorium, ubi pascha cum discipulis meis edam? Et ipse ostendet uobis coenaculum magnum stratum, ibi parate. Euntes autem inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt pascha. Quod phase Hebraice, pascha dicatur, & signet transitum ex Aegypto, sæpe dictum est: & in summa omnia quæ in festo fiunt, ita dicta: nunc autem quem nobis dicat diem azymorum, dicendum &c. Diem igitur azymorum dicit quintum, ad cuius uesperam pascha immolandum erat. Igitur domus forte quinto mane mittit discipulos, Petrum & Ioannem: & illū quidē ut diligentē, hunc uero ut dilectū. Mittit autē in alienā domū. Neq; enim domū habebat uel ipse, uel discipuli eius. Alioquin in una discipulorum domo mādūcasset pascha. Vides paupertatē? Mittit uero eos ad hominem incognitū, ut ostendat quod sponte susceperit passionē. Si enim uoluisset, poterat sicut mentē hominī quī se nesciebat dedit ut se susceperet: ita & cum Iudæis quæ libuisset facere. Quidam autem dicunt, quod propter hoc nō dixit nomen hominis, nec manifestauit eū: sed signo quodā deduxit eos ad domū illius, propter proditorē, ut ignorato nomine nō proderet domū pharisæis, qui uenissent & cōprehēdissent eū priusquam coenā perficeret, & spiritalia sua sacramēta traderet. Idcirco infra Christus dicit: Desyderio desyderauī hoc pascha mādūcare uobiscū: hoc est, oēm operā adhibui, ut lateat proditorē, & ne ante tēpus sustineamus passionē, priusquam traderemur.

Passio

sacramenta. Expositionē hāc accipiat q̄ uolet. Et cuius gratia pascha facit: p̄ oīa ostendit qd̄ usq; ad extremū anhelitū nō sit cōtrarius legi. Atqui comedamus & nos hoc pascha spiritualiter. Et intelligamus dies azymorum, omnem quā in spiritali lumine est conuersationem, quā nullam uetustatem primā in Adam inobedientiā habeat. In qua conuersatione si fuerimus, impinguandi sumus mysterijs Christi. Præparabunt itaque hæc sacramenta Petrus & Ioannes. Actiua & contemplatiua, feruor zeli & mansuetudo pacifica. Oportet enim fideles & feruidos esse bonum operando, & zelotas aduersus malitiam, & mansuetos erga male operantes. Odio enim habenda malitia, non is qui male agit, cuius habenda est cura. Infirmus enim est. Et hoc est male agere, à maligno uexari & facere malum. Quod si habuerimus Petrum & Ioannem adornātes cœnam: uitam dico bonam, quā est Petrus: & uera dogmata, quā sunt Ioannes theologus: occurret illis præparatoribus homo: tunc inueniemus humanam conditionem uere formatam secundum imaginem conditoris uas aquæ figulinum gestantem. Aqua quidem spiritus gratia, ut Euangelista Ioannes docet. Figulinum autem uas, cor quod facile confringitur: nam qui spirituales gratias accipit, humilis est, & cōtritus corde. Humilibus enim dat dominus gratiam. Qui autem scit seipsum esse terram & cinerem, & dicit cum Iob: De terra me formasti: ille portat gratiam spiritus in uase cordis sui, quod facile compungitur & conteritur. Et quum affecuti fuerimus hanc conditionem, abeamus in domum mentis, cuius paterfamilias monstrabit nobis cœnaculum stratum magnum. Cœnaculum autem est sublimis eiusmodi mentis capacitas, diuinorū inquam & spiritaliū, in quibus habitat, & in quibus amice excipitur. Strata autē sunt hæc: nihil enim in eis asperum, sed & aspera in plana cōuertuntur tali menti, sicut & Solomon dixit: Omnia plana intelligentibus, & recta inuenientibus scientiam. Id autem peccatoribus non dixit, quia mens, licet opus excellens faciat, iuxta suam efficaciam agens, strata tamen eius scientia est, & adhuc humiliora habet. Sublimis autem & quā uera scientia, & super omnam sublimitatem, ignoratio est, quā mentem transcendit, quādo non iam mens operatur, sed operationem sentit, ac patitur. Oportet autem nos prius in mente nostra operari, & deinde gratiæ dominicæ in nobis operationē sentiemus, quā nos suscipiet, sicut prophetas, & eos qui excessum patiuntur, & omni naturali operatione destituunt. Denique dicitur assumptio domini in propheta huiusmodi fieri. Sicut igitur & in hoc cœnaculum stratum uenit Iesus cum discipulis suis, & perficit mysteria: ita uenit ad nos & dominum nostrum, & suam ueniamus efficaciam: sed non expectat, ut nos ueniamus ad eū. Discipuli autē uerbi dei, sunt omnes sermones quos fecimus. Tunc igitur quum intellexerimus, quod operetur in nobis uerbum, dico impletionem: immo assuefacti fuerimus iungere sermonibus opera, tunc uidebimus cœlos opera digitorum tuorum.

Et quum iam esset tempestiuum, accubuit, ac duodecim apostoli cum eo. Et ait illis: Desyderio desyderauī hoc pascha comedere uobiscum antequam patiar. Dico enim uobis, post hac non edam ultra ex eo, donec compleatur in regno dei. Et accepto poculo, gratias egit, ac dixit: Accipite hoc, & diuidite inter uos. Dico enim uobis, quod non bibam de fructu uitis, donec regnū dei ueniat. Et accepto pane, quum gratias egisset, fregit ac dedit eis, dicens: Hoc est corpus meū, quod pro uobis datur, hoc facite in mei recordationem. Similiter & poculum postquā cœnauit, dicens: Hoc poculum noui testamentum per sanguinē meum, qui pro uobis effunditur. Pascha stantes comederant: quomodo igitur dominus recumbere dicitur? Dicunt itaq; quod postquā comedit legale pascha, recubuerunt more uulgarī comedētes alios quosdam cibos. Dicit autē ad discipulos: Desyderio desyderauī hoc pascha manducare uobiscum, priusquā patiar. quasi diceret, hanc extremam cœnam meam uobiscum. Idcirco & gratum ac desyderabile est: nā ultra uobiscū nō sum conuiuaturus: sicut & peregre profecturi, postrema colloquia cum maxime familiaribus suauiter miscent. Vel aliter: Desyderauī hoc pascha māducare uobiscum, eo quod magna mysteria in hac uobis cœna sim traditurus, nempe ea quæ sunt noui testamenti. Significat autem per hæc, quod uoluntariō patiar. Poterat enim omnino secedere, sicut & alijs temporibus, quum sciret se passurū. Quod autem

autem

autem dicit, Non bibam illum, donec regnum dei ueniat: quidam sanctorum intellexerunt, donec resurgam. Post resurrectionem enim conuersatus est cum discipulis, & comedit & bibit cum eis. sicut & Petrus dicit ad Cornelium: Qui comedimus & bibimus cum eo post resurrectionem. Quod autem regnum dei sit resurrectio, manifestum est. Resurrectio enim destruxit mortem. Regnauit autem mors ab Adam usque ad Christum. Tunc autem destructa, concessit domino uictoriam & regnum: quemadmodum dictum est: Vbi stimulus tuus o mors? & David: Dominus regnauit. Deinde interpretans, quomodo regnauerit: decorē, inquit, induit est, incorruptionē accipiente corpore & decorato deitate, ut Esaias inquit: Hic formosus in stola, uiolentia cum fortitudine. Dominus quoque postquam resurrexit, inquit: Data est mihi omnis potestas. Quā enim uenisset resurrectio, quam regnum dei nominauit, eo quod mortem destruxit, iterum bibit cum discipulis, persuadens discipulis non iuxta apparitionē tantum resurrexisse. Quidam autem regnum putarunt futurum statim: Bibere autem dominum nobiscum in futuro, reuelatione mysteriorum. Lætificans enim nos ex hilaratur: & pascens, pascitur misericors: & nostrum potum ac alimoniam, hoc est doctrinam, proprium cibum existimat. Bibit igitur hoc loco nouam quādam potionem cum dignis, reuelans eis semper noua quādam & insolita. Ideo & uidetur poculorum meminisse Lucas. Et semel quidem dicit: Accipite & diuidite inter uos: quod ueteris testamenti figuram quis esse dixerit. Et iterum, quod illum postquam fregit panē & distribuī, ipse distribuī discipulis, quod & noui testamenti nominat, & suo sanguine dicit hoc innouari. In ueteri enim sanguis erat brutorum animalium, quum lex uigeret: nunc autem quum uerbum dei homo factum est, sanguis nouum testamentum nobis ob signauit. Dicendo autem, quod pro uobis datur & effunditur, non pro solis apostolis signat corpus eius esse datum, & sanguinem eius esse effusum, sed pro humano genere. Quando igitur dicit, quod pro uobis datur, hoc est pro nostro hominum genere. Vetus enim pascha perficiebatur ob liberationē ex Aegypto, & sanguis agni propter seruata primogenita: nouum autem pascha propter remissionem peccatorum, & cogitationum sanctificationem & conseruatorum deo. Primum autem panis, & deinde poculum. Primum enim laboriosior actio & difficilior. Sudores enim præcedunt uirtutem. Quemadmodum igitur panis non solum in sudore faciei excolitur, sed & comedendo operosior est. Deinde post labores, læticia diuinæ gratiæ, quæ signat poculum. Postquam enim quis in uirtutibus diu grauiterque laborauerit, tandē dignus est donis, & inebriatur laudata illa ebrietate, qua excedit ex hoc mundo: sicut Paulus & David. Et ut audentius quiddam dicam, sicut & deus apud Habacuc.

Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa. Et filius quidem hominis, secundum quod definitum est, uadit: ueruntamen uæ homini illi per quem proditur. Et ipsi coeperunt querere inter sese, Quis nam esset ex ipsis, qui hoc facturum esset. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum uideretur esse maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eis: & qui potestatem habent super eas, benefici uocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in uobis, fiat sicut iunior: & qui princeps est, sicut qui ministrat. Nam uter maior est, qui accubit, an qui ministrat? nonne qui accubit? At ego in medio uestro sum, ut qui ministrat. Nihil excæcatis est miserius. Vide enim quid dominus dicat: Ecce manus tradentis me mecum est in mensa. & stupidus non sensit. Etenim non solum ut ostēdat se non ignorare quod euenit, hæc dicit dominus: sed & ut ostendat nobis suā bonitatem, & proditoris maliciā, qui non erubuerit secum cōuiuari. Nam non omisit sua facere, ut nobis exemplū daret, ut usque in finē lucrari lapsos studeamus. Et filius quidem hominis (inquit) uadit, non ceu non ualeat se iudicare, sed quia olim decreuerat mori in salutem hominum. Veruntamen uæ homini illi per quem tradit. Nam prædefinitum quidem est, ut patiatur: sed tu quare inuentus es malus, et ita ad prodicionem paratus? Propterea tibi uæ adiudicatum est, quia inuentus es studens prodicioni. Quia & serpens maledictus est, eo quod seruiuit diaboli consilijs. Turbati autem sunt discipuli his auditis: & hoc latius discēs in euangelio iohannis. Nunc autem non solum de suspicionē prodicionis tantum turbatur, sed & ex turbatione illa ad contentiones ueniunt,

contendentes quis ex ipsis esset maximus. Inciderunt autem in hanc litem: quia uerisimile est, quod inter se dixerint unus alteri, tu proditorus es: & alius alteri, tu proditorus es. Et inde eò peruenerunt, ut dicerent: Ego sum melior, & ego sum maior, & similia. Quid igitur dominus? Comprimit tumultum hunc duobus exemplis. Vno gentiliū, quos abominabantur: ostendens quod illis assimilandi sint, si sapiant similia. Altero autem suo exemplo. Ducit enim eos ad humilitatem exemplo suo, ostendens quod ipse ministret eis. Etenim tunc, sicut dictum est, panem suum & potum distribuit. Quū igitur ego, quē omnis rationalis & angelica creatura adorant, in medio uestri ministri: quomodo uos digni estis, qui magna de uobis sentiat, & primas partes capiat? Videtur autē mihi non obiter huius recubitus & ministerij meminisse: sed reducere eis in memoriam: Quia de uno pane comeditis, & uno calice bibistis, amicos & unanimes una mensa fecerit: quare ergo sapitis, quare tales non decet? Et neq; ego uni quidē seruiui, alteri autem non seruiui, sed omnibus uobis. Omnes igitur unum & idem sentiat. Tu autem in his omnibus intelligas, quod imperfecti fuerint adhuc discipuli, sed uide quomodo & postea refulserint. Confundantur Manichæi, qui dicūt quosdam natura indociles, & impossibilem esse uitæ mutationem.

Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedetis sup̄ duodecim thronos, iudicātes duodecim tribus Israël. Ait autem dominus: Simon Simon, ecce satanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticū: sed ego rogauī pro te, ne deficiat fides tua. Et tu aliquando cōuersus cōfirma fratres tuos. At ille dixit ei: Domine tecū paratus sum & in carcerem, & in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi Petre, nō canet hodie gallus, priusquā ter abneges nosse me. Postquam dixit traditori uā, et in medio doquit eos humiles esse. Sicut traditori uā adiudicauit, ita ē diuerso inquit: Vos estis qui mansistis mecum in tentationibus: ideo & mercedē uobis dispono, hoc est, paciscor uobiscum, ut quū pater meus disposuerit mihi, hoc est segregauerit mihi regnū, ut edatis & bibatis super mensam meam. Comedere autem & bibere dixit, non quasi edulia illuc sint posita, neq; quasi sensibile quoddam regnum sit. Ipse em̄ per ea quæ Sadducæis loquutus est, docet quod conuersatio quæ illic, angelica sit. Et Paulus docet regnum dei, nō esse cibum & potum. Ne quis igitur erret audiens hic, Edatis & bibatis super mensam: sed cogitet quod hoc dictū sit ex metaphora eorum qui à regibus honorantur. Nam qui cum regibus coenant, uidentur primos honores sortiri. Hoc igitur & de apostolis dicit, quod apud se omnibus alijs præferantur. At ubi thronos & sedes audieris, non thronos intellige, sed gloriam & honorem. Nō em̄ creaturæ est sedere, sed sanctæ trinitatis, increati & regis omnium dei: creaturæ autē tanquā ancillæ est stare: idē quū corporaliter dicimus sedere & stare. Iudicantes uero, hoc est condēnantes eos qui ex duodecim tribus sunt increduli futuri. Non parua autem condemnatio fuerit, quod apostoli qui ex Israëlitis etiam ipsi erant, crediderunt, & alij non crediderunt. Itaq; quia proditori uā adiudicatum est, illorum autem qui permanserunt in amore erga illum, tantū prædixit fore honorem: ut ne extollantur, quasi magnum quiddam fecissent, & permansissent in charitate, ac non prodidissent: Satanas uos (inquit) petiuit cribrare, hoc est turbare, nocere, tentare. Sed ego rogauī. Ne existimetis, inquit, quod uestrum sit totum hoc bonum opus. Diabolus enim ualde urget, si possit uos ab amore meo depellere, & ostendere proditores. Ad Petrum autem uerba hæc dirigit, qui reliquis audacior erat: & probabile est superbis in his, quæ à Christo promissa erant: idcirco & reprimat eum, dicens: Satanæ quidem multum fuit studium contra uos, ego autem oraui pro te. Et hoc, humano more dicebat. Nam ut deus, non opus habebat orare aliquē. Rogauī igitur dicit, ut non deficiat fides tua, quamuis enim breui tempore concutiendus sis: sed habes recondita semina fidei, etiam si folia abiecerit spiritus inuadentis, sed radix uiuet, & non deficiet fides tua. Tu uero conuersus confirma fratres tuos. Planus huius intellectus is est: Quia te habeo ut principem discipulorū, postquam negato me fleueris, & ad poenitentiam ueneris, cōfirma ceteros. Hoc enim te decei,

Rhom. 14

te decet, qui post me ecclesiae petra es fundamentum. Intellexerit autem hoc quis non solum de apostolis dictum, quod confirmati fuerint à Petro: sed & de omnibus qui usque ad consummationem seculi futuri sunt fideles. Tu enim Petre conuersus, bonum exemplum poenitentiae eris omnibus, ut nullus credentium in te respiciens, desperet: qui quum apostolus fueris, & negaueris, iterumque receperis primatum omnium, & praesenturam orbis per poenitentiam. Rogauit itaque Satan cribrare & nocere, sicut cribratur triticum purum, utpote inuidens amoris tuo in me, sicut ei mos est. Nam sic & Iob inuasit. Verum ego non omnino te derelinquam, ut deficiat in uniuersum fides tua. Quamuis autem ego rogauerim pro te: attamen tu ne recideris, sed conuersus, hoc est poenitentiam agens, & lachrymas profundens, & à negatione resiliens, esto & alijs poenitentiae exemplar, ne desperent. Quid igitur Petrus? Multa charitas animosum eum reddidit, ut pollicetur quae sibi tunc impossibilia. Dominus autem ubi uidit eum temeraria loqui (oportebat enim semel audita ueritate, quae ei dicebat quod tentandus esset, non reluctari) manifestat ei tentationis speciem, nempe negationem. Hoc autem loco discimus magnam doctrinam, quod non sufficiat propositum hominis absque subsidio dei. Quemadmodum & Petrus parum derelictus, tamen si charitatem ac feruorem habere uideretur, ubi reliquit eum deus, supplantatus est ab inimico. Et iterum non sufficit dei subsidium, si non affuerit & humanum propositum. Quemadmodum & Iudae nihil profuit, quamuis omnia faceret dominus, ut lucrificaret eum, quum abesset ei bona uoluntas. Horreamus autem, considerantes quantum contra remissos ualeant insidiae diaboli. Ecce enim & hoc loco Petrus, quamuis à deo conseruaretur, quia paruo tempore per dispensationem derelictus est, eò peruenit ut negaret: & nisi fuissent à deo custodita parua quaedam quae in illo recondita erant semina, quid non fuisset passus? Eò enim spectabat diabolus, ut & ipsum ad proditionem intruderet. Cibus enim diaboli (inquit propheta) electi. Deo autem sit gratia, qui non derelinquit sanctos, & iustos, & bonos corde: qualis erat Petrus ualde amans, & alienus à malis erga magistrum suspicionibus.

Et dixit eis: Quando misi uos sine sacculo & pera & calceamentis, num quid defuit uobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, uendat tunicam suam, & emat gladium. Dico enim uobis: quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet perfici in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quae sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: Satis est. In principio quidem praedicationis mittens discipulos dominus in castella & ciuitates, & absque necessarijs dimisit, neque dedit quibus habebat opus, neque curam gerere uolebat, & in his oportebat discere eius uirtutem. Illorum enim curam habens, tanquam infirmorum, faciebat eis omnia necessaria affluere abunde citra ipsorum curam. Nunc autem contraria praecipit, non contrarius sibi ipsi: sed ostendens eis quod usque ad hoc tempus tanquam paruulos gestarit, & non fecerit eos de quoquam sollicitos. Nunc autem opus est eis, ut curet ea quae uirorum sunt, & prouideant sibi ipsis. Ego enim inquit, pater uester, uestri curam gerens iam ab eo. Ex hoc tempore parati esto te, & ipsi rerum propriarum curam gerite, & nolite omnem curam in me reijcere. Opera enim uestra non erunt tam facilia, & à labore aliena: sed obnoxij eritis fami & siti, & multis aduersis. Haec enim insinuantur per sacculum & peram, ac gladium. Proinde ne sitis ignaui, quia & famem experturi estis, & opus habebitis edulij: quae per peram significat. Et uiriles estote, quia in multa aduersa incidetis: quod per gladium indicat. Haec autem dicit, non ut omnino gladij sint accincti, sed (ut dixi) significans bella & pericula, & docens ut ad omnia praeparati sint. Nam ne existiment posteriores, quod apostoli à se nihil ad uirtutem contulerint, sed totum dei fuerit: Non hoc erit (inquit) sic: neque enim apostolis meis uti uolo ut instrumentis inanimatis. Denique inuenies apostolos, & maxime Paulum, multa & ex humanis industrijs recte facere. Et lege Acta, quauis & in his non abfuerit diuinum subsidium. Interea autem & apostolis accedit utilitas, ne fastu inflentur ex hoc. Si enim ipsi nihil curassent, & à deo omnia facta fuissent, inflati fuissent, quasi maius quiddam supra uires humanas sortiti. Et alioquin, naturae ignauia &

corruptione, nihil à se excogitabant, sed omnia expectabant à uerbo. Propterea dicit eis, ex hoc tempore & peras gestate: hoc est, sic affecti estote, & curam habete ut eluri em habituri. Et gladium emite, quod est: sic prouidete uobis ipsis, tanquam hi qui in bella & praelia multa incident. Et aliter exposuerunt quidam, Emite gladium. Significat enim breui tantas futuras insidias, quales nunquam fuerunt, & quod inuasuri sint illos sanguinarij uiri. Nam quia illi prius inter se de primatu contenderant: Non est (inquit) tempus ambitionis, sed periculorum & cædium: nam & ego magister uester ad mortem abducor, neque ad gloriosam mortem. Veruntamen implebitur in me, Cum iniquis deputatus est. Insidias igitur latrocinatorias significaturus, meminit gladij: & neque perfecte reuelauit, ut ne metu quodam terreantur: neque perfecte siluit, ut ne repentinis insidijs confundantur, immo ut post hæc recordantes admirentur eum, tanquam præscientem, & stupefiant quomodo seipsum pro salute hominum ad mortem tradiderit: & propterea etiam ipsi nihil molestum subterfugiant, ut saluentur aliqui. Hæc enim opinor, ænigmatica propterea dicebat, ut postea recordantes & intelligentes, utilitatem caperent. Quoniam tunc ita insipientes erant, ut dicerent: Domine, ecce hic gladij duo: at ipse quia uidit eos non intellexisse, inquit: Satis est. Tamen si nequam suffecissent, si humano auxilio contra homicidas illos uti oportuisset, neque cenum gladij suffecissent. Si autem hoc noluisset, & diuiniore subsidio opus erat, superflui fuissent & duo. Veruntamen dominus noluit eos arguere, utpote nihil intelligentes: sed dixit, satis est: ac processit. Sicut igitur & nos, si quando cum quodam conuersantes, uidemus eum non intellexisse quod diximus, dicimus: Bene, dimitte. Quamuis non sit bonum, sed ne conturbemus, remittimus. Facit autem hoc dominus, quando uidet discipulos non intelligere dictum, transiit, & euentui rerum permittit explicare dictorum intelligentiam. sicut & quando dixit, Soluite templum hoc. Nam postea cognouerunt hoc discipuli eius post resurrectionem. Quidam autem per ironiam dixerunt dictum à Christo, Satis est. Nam quum dixissent discipuli, Ecce duo gladij hic dominus ironice (aiunt) dixit: Quia duo sunt, omnino multi sunt, & sufficiunt nobis contra multitudinem quæ uenit super nos.

Et egressus ibat (ut erat solitus) in montem oliuarum: secuti sunt autem illum & discipuli. Et quum peruenisset ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem. Et ipse auulsus est ab eis fermè ad iactum lapidis, positisque genibus orabat, dicens: Pater, si uis, transfer poculum hoc à me: ueruntamen non mea uoluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi angelus de coelo confortans eum, & correptus labore prolixius orabat. Et erat sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terrâ. Et quum surrexisset à deprecatione, uenissetque ad discipulos suos, reperit eos dormientes præ coæstitudine. Quid dormitis? Surgite & orate, ne intretis in tentationem. Post cenam, non desidia, & ludi, & somnus dominum excipiebant, sed docebat & orabat, propter nos hæc figurans & demonstrans. Væ igitur ijs, qui post cenam foedis scortationibus uacant. Secedit autem in montem oliuarum, postquam talia docuisset discipulos ut oraret: consueuerat enim seorsum hoc facere, idcirco & à discipulis auellitur. Nō omnes autem discipulos, sed tres tantum assumit, qui & gloriæ suæ in monte spectatores fuerant. Quia enim & in agone oraturus erat, ut ne uideantur formidinis esse indicium: propterea assumit eos qui diuinæ gloriæ & superni testimonij spectatores & auditores fuerant, ut quū uiderint laborem suum, hoc humanæ naturæ esse dicant. Vt enim crederetur uerus homo esse, naturæ quod suum erat facere permisit, & uitæ appetit etiam ipse ut homo, precaturque ut transeat calix. Nam uitæ amans est homo. Quo confutantur hæreses, quæ dicunt phantasticum fuisse hominem. Etenim quum hæc facta sunt, & habuerunt unde eiusmodi nugarentur: quid non facturi erant, si non fuissent hæc facta? Porro uelle quod transeat calix, humanum erat. Statim autem dicendo: Veruntamen non mea uoluntas fiat, sed tua: ostendit quod & nos sic oportet affectos esse, & philosophari, diuinæ quæ uoluntati cedere, & non parere naturæ se opponenti. Non uoluntas mea humana fiat, sed tua, eo quod tua uoluntas non est à mea diuina uoluntate separata. Duas enim naturas habens unus

Christus

Christus, habuit & naturales uoluntates, diuinam ac humanam, uel uolitiones. Voluit itaque humana natura uiuere, naturale enim est. Deinde sequens diuinam uoluntatem, quæ uolebat ut omnes homines saluarentur, & erat communis patri & filio ac spiritui sancto, mortem suscepit: & sic unum factum est uolitum, hoc est salutaris mors. Quod enim ab humana natura fuerit orare, quæ iuxta permissionem patiebatur communem affectionem, qua amamus uitam: & non à diuinitate, sicut dicunt maledicti Ariani: manifestum est ex hoc quod sudauit, idque cum tanta anxietate, ut plasmæ hæc fuerit & parcemia, eo quod sanguinei riui ex eo ceciderint. Parcemia enim est in his qui ualde laborant, ita ut sanguinem sudent: sicut & in his qui amare flent, quod sanguinem fleant. Hoc igitur uolens manifestare Euangelista, quod dicimus, quod sanguinem fleant. Hoc igitur uolens manifestare Euangelista, quod non tenuibus quibusdam indicijs, & ostentationis gratia apparentibus: sed fluentem fortiter sudorem stillauerit, & collegerit secum riuos sanguinis. Hinc igitur manifestum, quod natura illa quæ sudabat, illa & in agone erat. Humana enim ista fuit, non diuina: quia & humana natura permixta est hæc pati, & sic passa est. Sed simul interim ostendit, quod non phantasticus fuerit homo. Interim & magis mysticum quiddam docet, quod & communem humanæ naturæ formidinem sanet: quia in seipsum illam sumpsit, diuinæque uoluntati fecit obedientem. Quippe quod egrediebantur e corpore sudores & decidebant: uidetur significare, quod exurat & abstergat, & à nobis cadere faciat fontes formidinis, natura nostra in Christo. Dico igitur, quod quia humanam nostram formidinem curare uoluit, si ualde timidus & ignauus fuisset, non utique sic sudasset. Visus est autem ei angelus confortans eum, idque ad nostram consolationem, ut orationis uirtutem discamus, eo quod confortet. Quumque didicerimus, eam in grauibus periculis præmittamus. In terea etiam implentur ea, quæ dicta à Mose in magno cantico: Et confortent eum omnes filij dei. Nonnulli autem sic dicti explicarunt curiosius, quia apparuit ei angelus glorificans eum, & dicens: Tua est domine fortitudo, tu enim præualuisti contra mortem & contra infernum, & liberaisti genus humanum. Et hæc quidem sic se habent. Ipse autem quum inueniret discipulos dormientes, exprobrat simul & adhortatur ut orent in tentationibus, ne forte ab illis uincantur. Hoc enim significat non intrare in tentationem, hoc est non absorberi à tentatione, neque in illius potestate fieri. Vel etiam simpliciter iubet nos orare, ut nostra sint serena, & ne in difficultatem quandam incidamus. Dæmoniacum enim est, & arrogantia plenum, in pericula semetipsum iniicere. Quomodo igitur dicit Iacobus: Omne gaudium existimate fratres, quum incideritis in tentationes. Et quid hoc? Non enim nos contraria dicimus. Ecce enim & Iacobus non dixit, Iniicite uosipsum: sed, quum incideritis, ne collabamini, & omne gaudium existimetis: & quod non erat uolitum, facite uolitum. Melius quidem fuerat, si non uenissent: uerum quia uenerunt, quæ utilitas fuerit inuiti moerore confici? Ostende igitur mihi ubi expresse præcipiatur, orandum ut cadas in tentationem? uerum non poteris. Cæterum scio duplex genus esse tentationem: & quod quidam intelligunt, ne ingrediamur in tentationem, hoc est in eam qua anima nostra uincitur, scilicet in tentationem libidinis uel iræ. Omne autem gaudium existimandum, quum in corporalem afflictionem & tentationem incidimus. Quanto enim externus homo corrumpitur, tanto & internus renouatur. Scio quidem hæc, sed ueriora arbitror, quæ præsentis scopo utiliora sunt.

Adhuc autem eo loquente, ecce turba, & qui uocabatur Iudas, unus è duodecim antecedebat eos, & appropinquauit Iesu, ut oscularetur eum. Iesus autem dixit illi: Iuda, osculo filium hominis prodis? Videntes autem hi qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, percutiemus ne gladio? Et percussit unus ex illis seruum principis sacerdotum, & amputauit auriculam eius dextram. Respondens autem Iesus, ait: Sinite huc usque. & quum tetigisset auriculam eius, sanauit eum. Dixit autem Iesus ad eos qui uenerant ad se, principes sacerdotum ac magistratus templi

& seniores: Quasi ad latronem existis cum gladijs ac fustibus, quum quotidie uobiscum fuerim in templo, nō extendistis manus in me: sed hæc est hora illa uestra, & potestas tenebrarum.] Osculum Iudas dedit, quod his qui inuadebant signum esset: at nō à longe monstrauit, ut non deciperentur nocte: quia & cum facibus & lucernis aduerterant, ne latere possit Iesus. Quid igitur dominus? Accedit ad hostile illud osculum, fulmina autem tam dolosum & ingratum subito extinguere neglexerunt, docente nos salutem per illa patientiam. Reprehendit autem solum Iudam: Osculo prodis? non erubescis hoc proditoris signum? misces amico amplexui inimici opus prodicionem? Sed & quem prodis? filium hominis, hoc est mansuetum, lenem, morigerum, propter te factum hominem, quum deus sit. Hæc dicebat, usque sub extremam horam fouens illum: & idcirco nō prosequutus est conuictijs, neque dixit: O inhumane, & ingratissime: sed, Iuda: propro eum nomine compellans, neque grauius simul arguisset, nisi & hoc ei cecidisset in mentis, siquidem uoluisset. Etenim ne putaret esse occultum, sed notum domino: & uel tunc ante omnia scientem procumberet & poeniteret, hoc fecit, & uisus est eum confundere. Et sciebat quidem illum inemendabilem, faciebat tamen interim quod suum, quem admodum & pater eius in ueteri faciebat: sciens enim Iudæos non audituros, mittebat prophetas. Interea & nos idem docet, ut ne correcturi lapfos affligamus multum. Porro discipuli zelo flagrant, etiam gladios eximunt. Vnde autem illos habebant? Agnū immolabant, & à mensa exierāt. At arguit Petrus, qui præter scopum domini zelo utebatur. Alij etenim interrogant, num percutiemus? Ipse autem non expectat præceptum, ita semper seruebat pro magistro. Percutit autem seruum pontificis, & amputat eius aurem dextram. Neque hoc fortuito cōtigit, sed signum hoc erat, pōtiffices qui tūc erāt, omnes futuros seruos, & perdituros auriculam dextram. Etenim si Moysen audiuisent, dominū gloriæ nunquā crucifixissent. Verum Iesus auriculam restituit. Decet enim uirtutem uerbi, sanare inobedientes, & apponere eis auriculam ut audiant. Iesus itaque manifestum miraculum facit, auriculam sanans, miraculo patientiam suam ostendens, & per miraculum inducens eos ut ab infania absistant. Dicit autem ad principes sacerdotum, & ad magistratus templi, qui *σφαῖροι* & ædiles dicebant: quia cōstituti erant ad exquirenda ea quæ ad templi usum exigebantur, uel qui præfecti erant ædificio & constructioni templi. Ad hos igitur dicit: Quotidie uobiscum docebam in templo, & nolui stis me comprehendere, & nunc quasi latrones inuaditis: sed reuera noctis attentatis opera, & potestas uestra tenebrarum est, atque idcirco hæc horam obseruatis, quæ conuenit uobis & operi, quia me inuaditis.

Comprehensum autem eum duxerunt, & induxerunt in domum principis sacerdotum. Petrus uero sequebatur eminus. Quum autem accēdissent ignem in medio aulae, atque unā consedissent, sedit & Petrus inter illos. Quem quum uidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, defixis in illum oculis, dixit: Et hic cum illo erat. At ille abnegauit eum, dicens: Mulier, non noui illum. Et post pusillum alius uidens eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus uero ait: Homo, non sum. Et interuallo interiecto ferè horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens: Vere & hic cum illo erat, nam & Galilæus est. Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicas. Et continuo adhuc illo loquente, cecinit gallus. Et conuersus dominus, intuitus est Petrum. Et recordatus est Petrus uerbi domini, quomodo dixerat ipse: priusquam gallus cecinerit, ter me negabis. Et egressus foras Petrus, fleuit amare.] Infirmus fuit Petrus iuxta prædictionem, & negauit dominum non semel, sed ter, & cum iuramento fecit negationem. Dicit enim Matthæus, quod coeperit detestari & iurare, quod nesciat hominem. In tantum malum metu correptus, & parum à domino derelictus, propter temeritatem peruenit: ut doceatur ad dandam alijs ueniam & ipse facilis sit. Pertinacior enim erat: & nisi sic fuisset correctus, alijs ueniam non dedisset, manens in sua morositate. Porro tunc usque adeo metu confusus est, ut ruinam non sensisset, nisi dominus respexisset eum. O bonitatem. Etiam quum negaret, non neglexit discipuli salutem. Merito enim & negatio ista propter salutem hominū nōnihil eū affligebat. Itaque negauit quidem primum discipulus, deinde gallus cecinit: & iterum negauit,

negavit, usque dum negasset tertio, & tunc gallus secundo iterum cecinit. Sic enim Marcus scripsit manifestius & euidentius, quasi à Petro edoctus; illius enim discipulus erat. Proinde dictum à Marco, Lucas per transcursum dixit, non exactiori sermone. Nec est contrarium quod dicit Lucas ei, quod à Marco dictum. Nam gallus solet & bis & ter capere singulis motibus. Quippe usque adeo Petrus ab humana infirmitate grauatus est, ut neque galli cantum sentiret: sed postquam gallus cecinit, iterum atque iterum negavit, donec Iesus benigne suo uultu ipsum recordari faceret sui dicti. Et egressus foras, flevit amare. Nam et egressus est quum primum negasset, ut Marcus inquit. Deinde de probabile illum iterum ingressum, ne daret suspensionem quod familiaris esset Iesu. Et iterum quum recordatus esset, exit & flet amare: ut ne uideretur ab his qui in atrio erant, exit occultans se ab illis. Quidam autem, nescio quam stultam pro Petro defensionem fingunt, dicentes audacter quod non negauerit Petrus, sed dixerit, Nescio hominem: hoc est, nescio purum hominem, sed deum hominem factum. Horum autem insipiens argumentum alijs relinquamus. Mendacem enim faciunt dominum, & aduersant contextui Euangelij, nullo modo facere poterunt, ut cohæreat consequentia narrationis: sed & Petrus quare flevit, si non negavit?

Et uiri qui tenebant Iesum, illudebant ei, cædentes. Et quum circumtexissent eum, percutiebant faciem eius, & interrogauerunt eum, dicentes: Vaticinare, quis est ille, qui te percussit? Et alia multa conuiciantes dicebant in eum. Et ut factus est dies, conuenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum & scribæ: & duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Num tu es ille Christus? dic nobis. Et ait illis: Si uobis dixerò, non creditis: quod si etiam interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc tempore erit filius hominis sedens à dextris uirtutis dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius dei? Qui ait: Vos dicitis me esse. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuiimus ex ore ipsius. Conuiciatores quidam intemperantes fuere, qui hæc Iesu inferebant. Oportebat enim interim & diabolum nullam malitiæ speciem relinquere, sed omnia effundere: ut in omnibus natura nostra inuenta sancta, uinceret ac turbaret eum. Etenim quia propter hoc naturam nostram suscepit dominus, ut roboraret eam contra omnes diaboli artes, & ostendat quod si ab initio sobrius fuisset Adam, neutquam esset uictus: ideo omnes species diabolicæ malitiæ, quæ in eum fundebant, sustinebat: ut nos qui sequimur eum, confidamus quod in Christo natura nostra uicerit, & ne formidemus ad ullum opprobrium uel triste. Idcirco & percutitur, & illuditur: prophetarum quæ ipse dominus, quasi pseudopropheta irridetur. Nam, uaticinare nobis, quis est qui te percussit? eo tendit, quum illi subsannarent, & dicerent impostor qui se ipsum prophetam fecisset. Et ut factus est dies (nocte enim ab ebris ministris illusum & blasphematum est) seniores & dignitate præstantiores interrogant eum, Num ipse sit Christus? At ipse cogitationes eorum sciens, & quod operibus non credidissent, ad persuadendum efficacioribus: & quomodo ergo uerbis suis crederent, inquit, Si dixerò uobis, non credetis. Si enim crederetis uerbis meis, quid opus erat consilio? sin interrogauero, non me absoluetis. Sæpius enim & antea interrogati siluerunt: ut de baptismo Ioannis: & de hoc dicto prophetæ, Dixit dominus domino meo. & de muliere incuruata. Vbi igitur me audito, credidistis? Quando autem interrogati non siluistis? Propterea hoc dico, quod ex hoc tempore non est tempus sermonum & doctrinæ de hoc, quis sum. Si enim uoluissetis, cognitus essem uobis ex signis & miraculis. Iudicij autem tempus ex hoc tempore. Videbitis igitur filium hominis sedentem à dextris uirtutis dei. At illi his auditis, maiori rabie concitati, perinde ac insani interrogant, Tu igitur es filius dei? Verum ipse medio quodam modo & ironice respondet: Vos hoc dicitis, quod ego sum. Et enim despiciebat insaniam eorum, & ambigue eis loquebatur. Hinc autem manifestum, quod inobedientes nullam utilitatem percipiunt, quum eis reuelantur mysteria, sed maiorem condemnationem accipiunt, ideo illis occultanda sunt, nam hoc maioris est misericordiæ.

Marc. 14

Mat. 18.

Matth. 22.

Luc. 7.